

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Quistorp Peter Dreier

Disputatio Theologica De Sacra Coena

Rostochii: Kilius, 1643

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn738014788>

Druck Freier  Zugang



Kart. S. P. Dreierius

Foh. Anistorp/a
R. N. theol. 1643.

23.

DISPUTATIO THEOLOGICA De **SACRA COENA,**

Quam De Eadem alia Bujas D. Joh. Quistorpi
Senioris, habita anno 1645. XXII. Iunij.
ad dat alia de eadem
anno 1645. Tom. II. n. 55.
ex permisso & authoritate veneranda Facultatis Theologice.

Auxiliante Christo, Sacram Cœnam instituente.

Viro admodum Reverendo, Excellentissimo & Clarissimo
P R A E S I D E

DN. JOHANNE QUISTORPIO,
S. S. THEO L. Doctore & in inclutâ ad V ARNUM
Professore Celeberrimo, ejusdemq; Facultatis Seniore
meritissimo, ac p. t. Decano spectabili, ad D. Mariam Concionatore
vigilantissimo, Dn. Præceptore ac Promotore suo, summo
observantia & honoris cultu prosequendo

Publicè ventilandam exhibit

Auctor & Respondens

P E T R U S D R E I E R U S ,
HATTERSLEBIENSIS Holsatus.

Habebitur in Acroaterio majori ad diem
5. Aprilis horis matutinis.

— (o) —

ROSTOCHII,
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. XLIII.

1643



Uamvis nullo non tempore, Christiana mens meditari & prædicare illa debet beneficia, quæ in humanum genus passione & morte suâ noster Salvator consumulic: fit id eamen ex veteri Ecclesia instituto, hoc potissimum anni tempore. In simulq; saero-sanctæ Dominice cœna, quam morti vicinus DEI Mariæq; Filius instituit, mysterium considerat. Qua de, quum sobriam oculum seu collationem instituere nobis sit propositum, nos non in prolixas diffundemus disputationes, sed breviter ordine ipissima Institutionis verba considerabimus. Ex intimis penetralibus cordis imploramus absentiam Spiritus S. ue is nostrum aywyagxxv regi dicitur agere, & nos in veritatis tramitem ducere dignetur, sermo enim ejus est veritas Joh: 17, 17. per Jesum Christum. Amen.

THEISIS I.

Verba institutionis Cœnæ Dominicæ hæc sunt: Dominus noster Jesus Christus in eâ nocte, quâ traditus est, accepit panem, & postquam gratias egisset, fregit & dedit discipulis suis, dicens: Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in mei commemorationem. Similiter & postquam coenavit, accepto calice, cum gratias egisset, dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic calix est N. T. in meo sanguine, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. Hoc facite quotiescumq; biberitis, in mei commemorationem; Matth. 26, 26. Marc. 14, 22. Luc. 22, 19. & S. Paulus 1. Cor: 11, 23.

II. Cœna dicitur ratione temporis primæ institutionis, quia tempore vespertino post agnum paschalem manducatum instituta

A 2

fuit.

fit, ut habetur Matth: 26, 20, 26. & seqq. Qua ratione convivium Dei non prandium sed cœna vocatur, post prandium enim cœna, post cœnam nullum convivium restat: ut Gregorius Magnus inquit. *Dominica* dicitur ab ipso Domino nostro Iesu Christo. 1. Cor: 11. 23.

III. In institutionis Cœnæ Dominicæ verbis (α) explicandus venit Author, qui est Dominus noster Iesus Christus Θεός ἡγεμόνης summus sacerdos & Pontifex N. Testamenti benedictus in secula. Qui cum sit *Omniscius*, non illi defuerunt verba, quibus mentem exponeret, verbis proprijs & perspicuis, siquidem in eo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi sunt. Col:2,3. Quare ut ad tropicam interpretationem configiamus, necesse non est. Quemadmodum Testator suam ultimam voluntatem perspicuis & manifestis verbis, quantum in se est, effert, ne hæreditibus ansa litigandi præbeatur; ita & Christum jam jam pro hominum peccatis moriturum, voluntatem suam perspicuis verbis protulisse quis regabit?

IV. Non solum omnisciussed & *verax*, nesciens mentiri, imo ipsa veritas Joh. 14, 5. Ergo quæcunq; in hoc Sacramento reperiuntur, verissima certò certius statuimus.

V. Non tantum omnisciussed & *Omnipotens*: cui nullum verbum impossibile, Luc. 1, 37.. Quapropter præstare vallet, quæ hic promisit. Sicut illa vox valuit & adhuc valet, imo valebit, ē Dei ore semel quidem prolata פָרוֹ וְרַבּוֹ וּמְלָאֹן אֶחָד Crescite & multiplicate vos & replete terram; Cujus omni tempore vim ad generationem natura ipsa persentiscit: Ita & hæc verba in sacrae Cœnæ institutione semel à Christo recitata perpetuo firma & efficacia duraverunt, durant adhuc, & porro durabunt. Quare & in Cœnæ administratione à sacerdote homine prolata, id, cujus gratia præscripta sunt, efficiunt, ac si Sacramenti integritas pendeat à virtute institutionis divinæ non ab hominibus.

VI. Jctorum regula est, ut in Testamentis examinandis persona Testatoris attendatur, an sit habilis vel inhabilis ad Testamentum constituendum, si habilis Testamentum ratum judicatur; ut teste

teste Apostolo Gal. 3. 15. confirmatum nemo spernit, aut superordinat. Obtinet id summe in hoc Testamento.

VII. Quātō Testator Christus θεατρωπός hominibus sapientior, veracior & potentior, tantō minus Testamentum ejus reformari aut ipsi quicquam vel demi vel addi debet.

VIII. (β) Tempus considerandum est: In eā nocte quā traditā est tempore sc. vespertino mortem durissimam aggressurus hoc Sacramentum instituit. Quare & quemadmodum morti vicini non puerilia sed ardua pertractant: Ita & Christum non via & ludicra, sed gravia, sancta & spiritualia observatu dignissima tractasse scimus, quae fixe nobis mente sedere debent.

IX. Nec tamen hæc temporis circumstantia, nos ita obstrin-
git, ut non nisi vespertino tempore sacram Cœnam administre-
mus, eademve utamur. Libertate vero christiana utentes, manè
ut plurimum sobrii & ad divina aptiores, sacro sanctum hoc epu-
lum usurpamus.

X. (γ) Locus: non peracta fuit in templo Hirosolymitano,
neq; Judæorum synagogis, sed Hierosolymis in domo quadam
privatâ, ubi erat ἀνώγεον μέρος ἐσπλαγχνον, ἔσομον: triclinium
magnum stratum, paratum. Marc. 14, 15.

XI. Nos ordinariè in publico Ecclesiæ cœtu ἐνχαρισταν-
admis-
strandam esse statuimus, quod & in primitiva Ecclesia observa-
tum 1. Cor. II. 20. Ita tamen, ut, poscente id necessitate, in locis
privatis etiam peragi posse non negemus.

XII. (δ) Materia est duplex, 1. terrestris. & 2. Cœlestis, hæc
invisibilis, illa visibilis; Visibilis est panis & vinum: Invisibilis
corpus & sanguis Christi. Quemadmodum corpus humanum
sine anima, nec anima sine corpore verus homo nominari potest;
Ita nec panis sine corpore, nec vinum sine sanguine Christi Sacra-
mentum vocari potest.

XIII. Elementum autem panis & vini sunt extera symbola in
oculos incurrentia, quibus mediis, alterum videlicet corpus & san-
gninem suum substancialē nobis Salvator offert; quod rotundis
verbis Christus expressit: Edite hoc est Corpus meum: Bibite, hic est
sanguis meus.

XIV. Nec officit quod Matth. 26, 29. Marc. 14, 25. Luc. 22, 18. mentionem tantum *Poculi* faciant, quum non nudum *poculum*, sed juxta vinum in eo intelligent, quod in omnibus linguis usu venire, magis experientia docet. v. g. quando vas evanandum porrigitur, non nudum vas, sed liquore quodam suppletum intelligitur. Et idipsum *vocabulum* græcum *ποτήριον* indicat q. d. *πότην τηγάνῳ* potum continens.

XV. (ε) *Forma* hujus cœnæ est *tota actio constans euλογίας & κοινωνία seu distributione & participatione.*

XVI. Hæc de materia, quâ usus est Christus: paucis etiam de ritibus, quos observavit. Verba Christi: *Et postquam gratias egisset:* In Apostoli Pauli & Evangelistarum libris hæc duo verba, nullo disserimine observato, *ἐν χρεσίους, ἐν λογίους* gratias egit; benedixit, leguntur; & exinde *poculum* ab Apostolo Paulo *poculum benedictionis* vocatur.

XVII. Non diffinemur tamen, inter *gratias agere & benedicere* aliquot discrimen esse, hic vero convenient: nimirum, ut primò Deo gratias immortales pro passione & acerbâ ejus morte agamus, & deinde Christi verbis pani & vino benedicamus, & ad usum Sacramentalem destinemus. Hoc modo vox *euλογῆιν* pro sanctâ benedictione, cui divina potentia & operatio adjuncta est, non raro in sacris literis usurpatur; inter alia videatur locus Matth. 14, 19.

XVIII. *Et fregit i. e. panem benedictum digitis suis, ut ad distribuendum aptus esset, fregit, ita ut singuli discipuli portionem unam acciperent. Ut enim panis integer inter multos distribuendus, nisi dividatur, non potest distribui; Ita & Christus tunc temporis fregit panem, ut frastio distributioni inserviret, & præparatio esset dispensationis.* Videatur Matth. 15, 36. ubi Deus septem panes & pisces assumpsit, fregit & dedit cuilibet suam partem. Ex quibus asserimus δέσμη λαοῖς ad dispensationem esse directam; sic & egregius locus Marc. 8, 19. extat ὅτε τοις πάντες αρτούς ἔκλασσεν τοις πεντακισχιλίοις cum quinq; panes fregisset in hominum quinq; nullia ut & Esai. 58, 7. הַלֹּא בְּרָסֶת כִּרְעָב כִּחְמָה nonne frangere i. e. ut frangas esurienti panem tuum. Ubi בָּרָס Lutherus egregie vertit. Brich dem Hungrigen dein Brodi.

XIX. Ult

XIX. Ut autem dicimus distributionem panis esse maximè necessariam in cœnâ; ita modum distributionis esse indifferentem asserimus: perinde est sive cultro panem seces, sive digitis frangas, sive præparatum adferas, ut sit ad distribuendum & sumendum idoneus.

XX. Hic panis, quo in Cœnâ primâ usus fuit Christus azymus quamvis fuerit, nemini tamen litem movemus, si pro conditione loci & Ecclesiae fermentatum usurpet. Et ex azymo elegans hoc monitum elici scimus; sicut panis iste fermentatus erat, ita & nos à peccatis fermentatos esse & novam conspersionem fieri debere, juxta monitum D. Pauli, 1. Cor. 5. 7. 8. Interim libere Ecclesia agit in hoc casu: substantia semper debet esse salva, & immutabilis, hoc est, sit panis ex farinâ & aquâ pistus & igne coctus, ac ad alimentum hominis utilis. Accidens potest indifferentes esse, & sic perinde est, an panis sit fermentatus, sive fermentatus sive rotundus sive planus, sive primarius sive secundarius; Commititur id libertati Ecclesiae.

XXI. Et dedit discipulis suis, quibus Evangelistæ indicant, distributionem esse causam finalem fractionis, cuius rei gratia Christus fregit panem: porrigitur omnibus baptizatis, qui seipso probare possunt 1. Cor. 11. 28. Quemadmodum nemo nisi Judæus ad agnum paschalem sumendum admissus fuit. Exod. 12, 48. Ita nemo, nisi baptizatus sit, ad S. synaxin admittitur.

XXII. Accipite. Hic non prolixè agimus de voce ἀβεττα, accipite; an id velit, ut ore, vel manibus, panis & corpus Christi sit sumendum, sed indifferentes esse statuimus, an communicans manibus accipiat? vel illi à sacerdote porrigatur? modò consuetudo Ecclesiae observetur, & scandalum caveatur.

XXIII. Hoc verbo Accipite admonemur, ut, illum panem consecratum & vinum illud consecratum, per manus Ministrorum Ecclesiae nobis porrigendum sive porrectum, certò certius credamus, nos quasi ex ipissimis Dei manibus accepisse.

XXIV. Edite. quia hic panis è gratiâ est consecratus, separatus ab alio cibo, & fractus ad comedendum; Hinc non tropicâ sed

sed propriè iu suā nativā significatione hoc *edite* intelligimus; ita ut nō edere significet edere corpus Christi ore corporali, non spirituali accipere.

XXV. Nec tamen hinc infertur, nos commestionem corporalem vel Caper naiticam statuere, qui *Sacramentalem* esse urge mus, quam à purè spirituali differre affirmamus: hæc (1) solum in fideles, illa etiam in infideles & hypocritas cadit, quomodo Judam sacramentaliter Corpus & sanguinem Christi accepisse scimus, quem pure spiritualiter accepisse negamus. (2) Organo. *Sacramentali* manducatio & bibitio potest etiam fieri absq; fide & ore corpo reo. *Spiritualis* tantum fide. (3) Objeto: hæc ad beneficia & merita Christi; illa ad ipsam corporis & sanguinis Christi substantiam pertinet.

XXVI. *Hoc est Corpus meum.* Hoc sc. quod ego Jesus Christus vobis manducandum trado, est meum *corpus*. non solum est panis sed *In, cum & sub* pane porrigitur meum verum corpus, quo ostendere vult corpus sacramentaliter cum pane unitum esse, ut nō *Hoc* respiciat totum complexum.

XXVI. Est. quemadmodum res & rerum signa non unum idemq; sunt, sed diversa: ita esse & significare non possunt converti, nec alterum pro altero ponи. Proinde nō est accipimus in suā propriā & genuinā significatione, tropicam Calvinianorum planē rejicimus, nam nō est manet & est copula, quo subjectum *hoc* cum prædicato *corpus meum* copulatur.

XXVIII. Si verò explicetur per *significat*, sequeretur, panem non esse participationem corporis Christi 1. Cor. 10. neq; indignos fide carentes, reos fieri corporis & sanguinis Christi 1. Cor. 11. 27. quod contrariatur Sacra Scripturæ & ipsi institutioni cœnæ.

XXIX. Nos verbajuxta usitatam, propriam & nativam significationem accipimus, nec ab illis recedimus; sed illis inhæremus, scientes, Christi verbis potius inhærendum, quam sententiæ cuiusdam imaginariæ & incertæ. Deus est omnipotens, verax & omniscius, ejus itidem verba sunt vera, licet modus excidat nostrum captum.

XXX. Et

XXX. Et ut omnis dubitatio tollatur, quod *corpus* hic intelligatur, additur *meum* & præterea, quod pro *robis* datur, quibus patet, verum & substantiale *corpus*, quod in cruce passum & extensem est intelligi, quibus & *Corporis Christi* veritas astrictur, & transsubstantiatio ejusdem refellitur.

XXXI. Similiter & postquam cœnarit accepto calice, cum gratias egisset, dedit illū: In quibus verbis primò consideranda venit particula *ωοιντως* ad eundem modum, similiter. Matthæus & Marcus ponunt particulam *καὶ* & quā nos edocebunt, edere & bibere tanquam duos Cœnæ actus nullo modo esse segregandos sed conjungendos: & qui edere vult panem benedictum, necesse habet, ut etiam bibat calicem.

XXXII. Paulus ponit *ωοιντως* similiter, hoc est, quemadmodum cum pane actum est, ita & cum calice; quando editus panem, ut etiam accipiamus calicem. Quæ verba cum sint institutionis, quibus nihil est addendum, ita nec eis quidquam detrahendum. Hinc & id consequitur, Pontificios laicos calicem denegantes iniquè facere.

XXXIII. Accepto calice. *λαζαρὸν τὸν θεον* Marc. 14, 23, per calicem non nudum poculum, sed vinum cum poculo intelligit: sicuti enim Exod. 2. 6. Filia Pharaoh dicebat de Mosh. כִּילְרֵי הַעֲבָרִים זֶה de pueris Hebræorum iste, ut rectè vertit B. Lutherus es ist der Hebräischen Kindlein eins! & monstrabat fiscellā, in quā Moshē erat. Ita etiam Christus *acceptit calicem*, & ex illo cum vino verum sanguinem bibendum dedit. Quod ex usu loquendi patet *hoc est vinum*, & exhibetur dolium vinum continens, tunc respicio totum complexum.

XXXIV. Quin in illo *calice* *vinum* fuerit, nullum dubium est Luc. 22. 18. *non bibam de fructu vitis*, donec regnum DEI veniat. Nullus itaq; liquor aliis nisi vinum, sive sit rubrum, sive album in S. Cœnæ usu admittimus.

XXXV. Et gratias egit, hæc verba apud Matthæum & Marcum leguntur. Lucas vero & D. Paulus omittunt, procul dubio ob hanc rationem, quod antea horum verborum mentionem fecerint. confer. th. 12.

XXXVI. Bibite ex hoc omnes à Matth: 26. 27. sed Marc. c. 14. 23.
hæc verba afferuntur: καὶ ἐπον ἐξ αὐτῶν πάντες & biberunt ex eo
omnes. Ubi Christus loquitur de tali bibitione, quæ ore, interdum
etiam sit absq; fide; fide enim Judas non potuit bibere, & tamen
eandem cœnam cum discipulis quoad substantiam non verò quo-
ad fructum accepit. Omnes bibant. id est. Omnes in Ecclesia vi-
vientes, se probare valentes, peccata agnoscentes & fide ad Deum
accidentes.

XXXVII. Hic calix est N. Testamentum in meo sanguine q. d.
quod jam jubeo vos bibere, ne cogitetis, communem potum, sed
separatum à vulgari potu & cibo, & ad alium finem ordinatum
esse, neq; τυπικῶς & ουμβολικῶς ut in V. T. ubi Christus mori-
turus in hædorum & vitulorum sanguine oblato præfigurabatur,
neq; solum τυρεγνηπικῶς sed & ληθῶς, ubi ipsa essentia & ipsa sub-
stantia corporis & sanguinis Christi exhibetur Col. 2. Heb. 10.

XXXVIII. Qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum.
Matthæus & Marcus aliter proferunt: sanguis qui pro multis effundi-
tur. Pro multis, hoc est, pro omnibus hominibus, quorum multi de-
prehenduntur, vel pro totâ multitudine: ut pote Daniel: 12. 2 Rom. 5. 20.

XXXIX. Verba hæc pretiosissima unionem sacramentalem
probantia, probè sunt observanda, quasi ita diceret. Hic calix
(quod vobis bibendum trado) est (reipsâ, non typus sive præfigu-
ratio) mens (æterni Filij Dei, non Leviticorum sacrificiorum.)
Sanguinis (substantialis & realis, non signum quoddam aut um-
bra quædam V. T. sed est sanguis) Novi Testamenti (in quo o-
mnes typi cessant, imò est idem sanguis) qui (in ipsâ cruce) pro
vobis (seu omnibus hominibus) effunditur (acerbissimâ & deter-
rimâ morte) in remissionem peccatorum (adoptionem Justitiae &
vitæ æternæ.)

XL. Hoc facite quotiescumq; biberitū in mei commemorationem.
Hoc iterum involvit totum complexum, vel utrumq; & continens
& contentum per synecdochen Grammaticam, non Rheticam
ut B. Lutherus explicat.

XLI. Quotiescumq; non semel, sed multoties sacrâ synaxi uta-
mur. Qui semel baptizatus est, illi non opus est rebaptizatione.
Initiatio

Initiatio enim quæ sit per Baptismum semel facta sufficit, non vero
confirmatio fidei semel facta, quia fides s̄epissimè flaccescit, & ut
verbi auditu ac sacræ cœnæ sumptione confirmetur, opus habet.

XLII. Tandem (ζ) Finis est consideratus qui duplex, alter
respectu Dei: alter respectu hominum. Respectu Dei: Hoc facite
in mei eemmorationem; ut sit ἀναμνησις recordatio mortis Christi
in cruce traditi, omniumq; beneficiorum quæ traditione cor-
poris in mortem, & effusione sanguinis promeruit. Respectu homi-
num Matth. 26. 28. qui pro multis effunditur in remissionem peccato-
rum εἰς τὸ Φεστινέα πάγιον, ut sit applicatio beneficiorum Christi,
remissionis peccatorum, gratiæ, & vitæ æternæ &c.

XLIII. Et sic breviter quantum fieri potuit verba institutionis
perlustravimus, Deo sit Gloria in secula seculorum..



O pravas hominum mentes! quam, Christe,
volebas

Sacratam Cœnam fraterni pignus amoris:

Hanc mala mens Eridis pomum facit, atq; magi-
stram

Rixarum. Has placida tentas componere mente,
DREIERE, o faciūm bene! Tu cane pejus & anguis
Omnes fac fugias lites, insistito vero.
Constans cum vero concordia juncta triumphat.

Johannes Quistorpius, D.
& Theol. Facult. Senior.

Q uiam benē describis Coenam, benē percipe,
PETRE,

Sic erit in Cœlo Cœna parata tibi.

HENRICUS RANKEI

J.D. & Prof.



Si credis Christi Corpus cum sanguine praesens;
Cur recipi in Canâ corporis ore negas?
Si Calvino negas, qui jungi absentia credits?
Cum sub pane jubet Christus utrumq; capi.
Unio praesentes notat, & praesentia eodem
Res notat unitas organo, ac oris, edi.
Fautori suo honorando
ita gratul.

M. Joachimus Crellius,
Rugianus.

Vox Domini similis Petre, quæ fixa manebit:
Sic Testamenti verba manent Domini.
Ere ratum nolunt Calvinus Papag; sed tu
Cum DEUS omnipotens, esse ratum statuis.
Defendes thesin hanc, mi Petre, & petra voceris
Clara DEI quondam, tu modo perge, vale.
gratulabundus apposuit

Bernhardus Garman/
Fbil. Stud.

In Testamentis semper postrema voluntas
Obtinet, ac Christi, prob dolor! haud rata sit!
Dum DEUS Omnipotens aixit, tunc verba valebunt;
Quod thesibus tentas Petre probare tuis.
Ita Praeceptoris suo charissimo
gratulatur

Richardus von der Hard,
Lubecensis.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn738014788/phys_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn738014788/phys_0016)

DFG

Initiatio enim quæ sit per Baptismum semel facta suff
confirmatio fidei semel facta, quia fides sapissimè fl
verbi auditu ac sacræ cœnae sumptione confirmetur,

XLII. Tandem (ζ) Finis est consideratidus qui
respectu Dei: alter respectu hominum. Respectu Dei
in mei ecommemorationem; ut sit ἀγαμνοῖς recordatio
sti in cruce traditi, omniumq; beneficiorum quæ ti
poris in mortem, & effusione sanguinis promeruit. E
num Matth. 26. 28. qui pro multis effunditur in remissi
rum ἐπὶ ἀφεσιν ἔμαρτυρῶν, ut sit applicatio beneficie
remissionis peccatorum, gratiæ, & vitæ æternæ &c.

XLIII. Et sic breviter quantum fieri potuit verba
perlustravimus, Deo sit Gloria in secula seculorum.


Opravas hominum mentes! quam,
volebas
Sacratam Cœnam fraterni pignus amor
Hanc mala mens Eridis pomum facit,
stram.

Rixarum. Has placida tentas componer
DREIERE, o factum bene! Tu cane pejus
Omnes fac fugias lites, insistito vero.
Constans cum vero concordia juncta tri

Johannes Quisto

& Theol. Facu

Quam benè describis Cœnam, benè
PETRE,
Sic erit in Cœlo Cœna parata
HENRICUS R
J.D.



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. [redacted]

Patch Reference numbers on UTT